

## Ὀξύρυγχος-Schrift

## I

Affinchè le parole di N. A. Βέης (Rh. M. LXVI 637) non facciano pensare a qualche mutilazione del Cod. Barber. I 15, ora Vat. Barb. gr. 15, avverto che in detto ms. non è mai esistita la Cronica, ma solo ne fu ricopiata la dedica, come appare, oltrechè dalla condizione del codice, dal titolo: ἀπὸ ἑνα χειρόγραφον βιβλίον ἱστορικὸν κοινῇ γλώσση. Avverto ancora che il Barb. non legge ἐξωριχοστρογγύλι, ma ἐξυρ., coll' u, che è anche nel ms. ateniense citato dal Βέης.

Roma.

G. Mercati.

## II

Einen weiteren Beleg für den Ausdruck Oxyrhynchos-Schrift bietet D. Serruys in den *Mélanges Chatelain* 1910 p. 496 aus dem Paris. gr. 2316 (fol. 417), wo vor einem Alphabet astrologischer Kryptographie steht: τοῦ ὀξυρυχιτῶν (sc. ἀλφάβητος). Auch Serruys erklärt den ὀξύρυγχος χαρακτήρ für eine kalligraphische Unziale und bemerkt: Ce nom d'écriture 'à la pointe aigue' me semble s'appliquer parfaitement à la tendance calligraphique que représente le papyrus de Tebtunis 265.

Maulbronn.

Eb. Nestle.

Zu Bd. LXVI S. 632 ff. (Horat. *carm.* 3, 17)

Nachträglich wird erst jetzt mir bekannt, dass Bamberger bereits früher über die erste Hälfte dieser Ode öffentlich sich geäußert hat, und zwar im *Philologus* 1846, I S. 315 ff., inmitten seiner daselbst erschienenen Abhandlung u. d. T.: 'Ueber Telephus und einige andere personae Horatianae' (wieder abgedruckt in 'F. Bambergeri opuscula philologica maximam partem Aeschylea. Collegit Schneidewin.' 1856, S. 187 ff., speziell S. 195 f.).

Ohne an dieser Stelle auch über die Tendenz der zweiten Hälfte, insbesondere über die Worte *Genium curabis* (V. 14 f.) näher sich zu äussern, beschränkt Bamberger aaO. sich darauf, richtig den Nachweis dafür zu bringen, dass 'die ganze Parenthese (V. 2—9) offenbar eine feine Ironie ist auf den Eifer des Lamia, seinen Stammbaum zu begründen'.

Dessau.

G. Krüger.

## Iuvenaliana

*Incundum est et utile videre, quomodo Iuvenalis recensionem fecerit post O. Iahnium et F. Buechelerum F. Leo successor tertius. sed legenti mihi saturam X de precibus modo visum est, etiamnunc hic illic Iuvenalis satiricum quod est genus dicendi et sentiendi, diversum a comico genere dicendi et a quoquo alio sermonis habitu, rectius posse intellegi. et primo locum tractabo,*

ubi Leo abnuat videlicet, sapere se sal saturae, quod tamen sapierat Buechelerus, deinde adibo alterum locum, ubi nec Buecheleri lectionem nec Leonis ut probem, a me impetro.

in versibus 293 ss.:

*sed vetat optari faciem Lucretia, qualem  
ipsa habuit; cuperet Rutilae Verginia gibbum  
accipere atque suum Rutilae dare*

*suum* lectio est optimi libri Pithoeani a Buechelero reposita pro vulgata aliorum codicum lectione *suam*, quae non habet quo referatur, nisi trahitur ad *faciem* hyperbato molestissimo. sic autem explicavit Buechelerus Mus. Rhen. 42 (1887) p. 472 *suum*, ut duos gibbos Iuvenalem distinxisse diceret, anticum et posticum, pectoralem Verginiae gibbum mammatum, inlecebris Appique libidine damnosum, et Rutilae gibbum tergo inhaerentem, foedum aspectu, qui aetate Iuvenaliana Romae in sermonibus fuerit. nec tamen placuit haec huius loci explicatio Buecheleri aliis Iuvenalis editoribus. quorum Friedlaenderus in ed. p. 481 s. noluit repugnare ille quidem nec potuit doctae Buecheleri commentationi in voce *gibbi* versatae, qua *gibbum* de quolibet corporis tubere posse dici a Latinis exiictum sit. sed ambiguam illam vocis *gibbi* usurpationem a Buechelero sumptam frigidam esse dixit Friedlaenderus indignamque satura Iuvenaliana, particepsque factus est Friedlaenderus ut videtur assensus Leonis. qui quamquam textum retinuit Buecheleri, tamen in adnotatione critica commendavit p. 214 coniecturam aliquam dudum factam a Weidnero, pro *atque suum* scribente *osque suum*.

desideratur autem sanequam exemplum aliud, ubi gibbus componatur salse cum papilla, deliciis puellaribus. nam nisi abiit fere in locum communem apud satiricos Romanos ludibunda illa translatio *gibbi*, aegrius, concedo, intellegitur, quomodo nasci potuerit in Iuvenale strictissima comparatio mammae Verginianae cum gibbo Rutilae. tamen in satura Romana antiqua locus similis loco Iuvenaliano nullus est. immo repperi qualem in votis tuli locum nuper in satura aliqua Romanica, i. e. opere quodam fabuloso scriptoris recentissimi Caroli de Costeri, quod opus saturam dico meo ipse periculo, simul iis commendo, qui in tanta clade saturae antiquae Romanorum, praecipue Varroianae et Petronianae, litteras Romanicas adeunt, cognituri genium artis Romanae potius ex arte Romanica quam ex Graeca; cui operi inscriptum est verso germanice ex sermone francogallico a Fr. de Oppeln-Bronikowski (Ienae 1909) *Tyll Ulenspiegel und Lamm Goedzak, Legende von ihren heroischen lustigen und ruhmreichen Abenteuern im Lande Flandern und anderen Orts*. Costero igitur item ut Buechelero gibbus pro papilla est, v. l. I cap. 58 p. 131: *kam sodann eine hohe Dame; selbige hatte einen Höcker auf dem Rücken und eine Brust, so glatt wie die Klinge eines Richts Schweretes. 'Meister Maler', sagte sie, 'wenn du mir nicht anstatt des einen, den du fortnimmst, zwei Höcker machst und sie nach vorne setzt., so lass ich dich wie einen Giftmischer vierteilen.'*

in versibus 54 s.:

*ergo supervacua aut pernicioso petuntur  
propter quae fas est genua incerare deorum*

duplex offensio vexavit Buechelerum Mus. Rhen. 34 (1879) p. 355 s., tertiam offensionem adiecit Leo Herm. 45 (1910) p. 49 ss., suo arbitrato omnium gravissimam. et primum quidem occurrit hiatus v. 54 in semiquinaria post brevem vocalem singulariter. altera autem offensio, quam Buechelerus itemque alii, qui consuebant otium in hoc loco Iuvenalis vel ante Buechelerum, agnoscunt, inest flosculo *fas est*, pro quo *mos est*, simile quid exspectant. videtur Buechelero Iuvenalis non potuisse dicere de iisdem votis, ea *fas* esse dis insurrari, eadem *supervacua* esse aut *pernicioso*. habuit igitur versum 55 pro interrogatione atque etiam ex versu 54 fecit interrogationem inserto *quae* ante *pernicioso* hiatus sublato. quibus interrogationibus duabus argumentum totius saturae complecti voluisse sibi persuasit Iuvenalem post proemium absolutum; inde a v. 56 usque ad v. 345 tractari vota *supervacua* et *pernicioso*, inde a v. 346 usque ad sermonis finem ea, propter quae *fas* sit adire numina.

verum acrius intuens, qualem sensum Buechelerus dictioni *fas est* ut Iuvenalianum indiderit, vereor ne offensionem excitaverit potius quam deleverit. nam Iuvenalis cum turpia vota a Persio satira II et ab aliis scriptoribus antiquis plurimis castigata, in sua satira omnino reprehendere supersederit, gloriam Ciceronis et partum uxoris, talia bona, quamquam humana et caduca, tamen probata et spectata civibus a dis petenda infestaverit, infestat fere apud Romanos quae *fas* sit fieri vota. nullam igitur reapse habet offensionem locutio *fas est* in enuntiato tradito eoque minime mutato in interrogationem, sed satirice locutionem adhibuit auctor saturae. qui pari modo satirice dixit 6,628 *iam iam privignum occidere fas est*; 1,58 s. *cum fas esse putet curam sperare cohortis, qui bona donavit praesepibus* eqs. — ad summam igitur in textu tradito explicando astipulor Friedlaendero, qui in ed. p. 460 similia mecum sensisse videtur de colore satirico locutionis *fas est* donatusque est approbatione quadam Vahleni Opusc. acad. t. I p. 235 adn.

restat tamen Leonis offensio, quam principalem Leo esse dixit inter offensiones a se tractatas versui 54 nocentes: commonuit *supervacuorum* votorum mentionem inici versu 54 item ut *perniciosorum*, cum in reliqua satira nec vola nec vestigium exstaret *supervacuorum* votorum. inde versum 54 interpolatum esse declaravit versumque 55 fecit exclamationem.

at quae Leo de satira Iuvenalis ab argumento *supervacuorum* votorum libera sibi invenisse visus est, in his vir summo venerandus verbis magis inhaesit quam rebus. quid? nonne versatur sermo Iuvenalis v. 357 ss. in sapiente Fortunae contemptore atque se ipso contento spernente vota ut *supervacua*, non ut metuenda aut *pernicioso*? veluti verba v. 363 *monstro quod ipse tibi possis dare* clarissime partem efficiunt doctrinae,

qua probetur preces supervacuas esse. atque ipse versus 54, in quo usus est Iuvenalis vocabulo *supervacui*, excipit Democritum philosophum celebratum a poeta ipsum quoque ut contemptorem Fortunae, ex quo exemplo nulla via ducit ad pernicioso vota nisi per commemorationem supervacuorum. ceterum etiam accidit, ut Democriti placitum aliquod de precibus nobis servatum sit, ubi similiter atque apud Iuvenalem Democritus ex virtute animi humani, non ex metu mali eventus, cur vota respuenda sint, causam repetit: frg. 234 D. ὑγιήν εὐχῆσι παρὰ θεῶν αἰτέονται ἄνθρωποι, τὴν δὲ ταύτης δύναμιν ἐν ἑαυτοῖς ἔχοντες οὐκ ἴσασιν.

duae autem imprimis rationes sunt, quibus stoici et cynici sollemnia vulgi vota — turpibus votis et inaniter garrulis exceptis, quorum specialis locus est — supervacua habent; de quibus rationibus ipse egi *Archiv f. Gesch. d. Philos.* 21 (1908) p. 549 et 551. quarum rationum altera deducitur ex sapiente, qui αὐτάρκης sit, altera ex dis bona bonis sponte tribuentibus. atque utraque ratio saturae Iuvenalianae subest. de sapiente dixi, de dis homines ultro caros habentibus suaque cura hominum vota reddentibus supervacua cf. praesertim v. 349 s. *nam pro iucundis aptissima quaeque dabunt di; carior est illis homo quam sibi* eqs. id igitur maxime praeteriit Leonem, saturae Iuvenalianae non solum rem esse cum numinibus malignis, qualia diserte appellantur v. 111, sed etiam versari doctriam Iuvenalis de precibus in providentia deorum et in prudentia sapientis.

nequit igitur sermo Iuvenalis carere versu 54, nisi vacatura est argumenti tractatio fundamento iusto. curro ad hiatum et ad brevem vocalem productam in semiquinaria, quae relinquitur unica in versu tradito offensio. paene autem dubito, an licentia Iuvenalis et socordia in struendo versu heroico processerint eo, ut emiserit ipse versum hiulcum, qualis traditur, artis dactylicae casurae apud Romanos omen pessimum. certe deesse nolo, quin exponam quae faveant huic sententiae. qua in re primum de hiatus post longam vocalem occurrentis usu Iuvenaliano in memoriam aliqua revoco. quem hiatum admisit Iuvenalis exemplo quidem clarissimorum poetarum Vergilii et Homeri; sed mirandum, quam praeceps ruerit in veterem licentiam a Statio, Martiale, Valerio Flacco, poetis primi saeculi Christiani procul habitam. cf. Eskucheii tabellam in ed. Friedl. p. 60 s.: septies hiavit Iuvenalis in semiquinaria, ter in semiseptenaria; atque etiam in semiternaria quem hiatum 12, 36 *testiculū* | *adeo* olim abiudicarunt ab Iuvenale, eum nunc omnes ratum ducunt. — nec vero ex Horatii sermonum arte dactylica haec Iuvenalis licentia in hiatu tolerando repeti potest; ne in semiquinaria quidem ullum hiatum in arsi praebet Horatius.

sed offensio metrica versus 54 in eo posita est, quod usus brevis vocalis in arsi accedit ad hiatum. qualem vocalis productionem equidem non ignoro rarissimam esse in arte dactylica eamque nullo modo comparandam esse cum productione brevis

syllabae in consonantem exeuntis. nimirum tolero etiam in arte Ovidiana brevium syllabarum consonantibus terminatarum productionem vel eam quae in semiseptenaria, i. e. in secundaria caesura traditur met. 15, 217 *matris* | *habitavimus*, item Manil. 1,10 *facis* | *ad tanta*, tutaque est utriusque horum versuum sententia a coniecturis. contra ne in semiquinaria quidem, principali caesura concedo vocalis productionem fuisse in arte Ovidiana. atque nimis patienter tulit me iudice Rothsteinius in ed. Propert. I p. 224 usum brevis vocalis in arsi Ov. am. 3, 7, 55 *sed, puto, non blandā* (sic PS, non *blanda puto* cett. codd.), non *optima perdidit in me oscula*; ubi Ehwaldius *blande* scripsit, *blanda haec* Riesius (cf. O. Braum, diss. Marp. 1906 p. 38 adn. 2), mihi forsitan licebit lectionem traditam hacce ratione explicare: hemistichium *sed puto non blanda* traho ad sententiam antecedentem v. 53 s. *a tenera quisquam sic surgit mane puella, protinus ut sanctos possit adire deos?* et intellego *sed puto non a blandā puella sic surgit*. nimirum nullus poeta Romanus dixit *blanda oscula* (*blanda . . . basia* habet Iuv. 4, 118), at *blanda puella* legitur apud Ovidium etiam am. 2, 2, 34 et rem. 717; omnino puellis accedit hoc epitheton apud poetas sollemniter, v. Thes. l. l. s. v.

sed quem ars Ovidiana prorsus vitavit usum brevis syllabae in vocalem exeuntis in arsi, is usus certum locum habet apud priscum poetam Ennium in semiquinaria ann. 147 Vahl. *aquilā* | *pennis*, et fortasse ne alienus quidem est a Vergilio Aen. 3, 464 *graviā* | *sectoque*. nempe ex imitatione Homeri haec Ennii et Vergilii licentia pendet; cf. e. g. Od. IX 366 Οὔτις ἐμοί γ' ὄνομα, | Οὔτιν δέ με κικλήσκουσιν. X 322 Κίρκη ἐπήϊξά | ὡς τε κτάμεναι μενεαίωνν. atque eiusmodi versus Homerici, ubi item ut in versu Iuvenaliano ad usum brevis vocalis in arsi insuper accedit hiatus, suadent ut Iuvenali versum hiulcum indulgeamus. quae audacia Iuvenalis etiam eo minuitur, quod vocula *aut* semiquinariam sequitur; quae vocula post semiquinariam posita etiam in Ovidio effecit, ut a diligentia alioquin observata in struendo veru heroico maxima paullulum recederet, cf. Hauptium ad Ov. met. 3, 184. deinde duo vocabula quinarum syllabarum *supervacua* et *perniciosa* saturarum scriptor in expositione philosophica magis quam poetica numeris accommodavit.

ad postremum factum est etiam in optima arte, ut in semiquinaria syllabae breves, quae alioquin utique synaloephen patiuntur, et sustentent hiatum et pro longis ponantur, dico eas syllabas quarum peculiaris condicio est, in *m* exeutes. nolo enim attrahere opinatibus inutilibus versum Manilianum 1, 795 *emeritus caelūm* | *et Claudi magna propago* aut Propertianum 2, 32, 45 *haec eadem ante illām* | *impune et Lesbiam fecit*.

Kiliae.

Ernestus Bickel.